

**Dissertatio inauguralis medica timoris et terroris in peste noxam ... /
subjiciet C.S.F.**

Contributors

Finger, Christian Sigismund.
Coschwitz, Georg Daniel.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halle : J. Montagius, 1722.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uc8b4q2c>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONE INAUGURALI MEDICA,
TIMORIS ET TER-
RORIS IN PESTE
NOXAM,

ADNUENTE PROPITIO NUMINE
ET

CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA
PRÆSIDE

DN. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,
MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ACAD. FRIDERICIANA PROF.

PUBL. ORDIN. ET POTENTISS. PORUSS. REGIS IN COMITATU MANS-
FELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO
MERITISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE
SUMMO HONORIS CULTU DEVENERANDO

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS,
INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM
SOLENNI OBTINENDIS

HORIS LOCOQUE COSVETIS

ANNO MDCCXXII D.

AUG.

Publico ac Placido Eruditorum Examini subjiciet


CHRISTIANUS SIGISMUNDUS FINGER.

Sorav. Lufatus.

HALÆ-MAGDEB.

TYPIS JOHANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
TIMORIS ET TERRORIS NOXA IN PESTE.

PROOEMIUM.



Timorem ipsa Peste pejorem esse, per tritum vulgi proverbium in omnes notum est, quo communiter indigitatur, ipsam pestem, tantam haud edere stragem per se & ex sua natura, neque tot hominum facile correpturam esse, nisi plurimi illorum ex nimio timore dictum morbum tanto-pere perhorrescerent, ut præ timore, & quasi per imaginationem ipsi obnoxii fierent. Testantur

hac de re plurimi ac gravissimi authores, se observasse permultos cum nullo infecto communionem habuisse, nec ullum peste infectum vidisse, & tamen ex solo metu atque timore, a strepitu curruum funebrium incusso, peste correptos fuisse & occubuisse. Non latet Medicos quanta sit vis ac efficacia timoris, metus, atque terroris, in producendis ac fovendis aliis gravissimis morbis, quemadmodum id Praxin exercentibus toto die occurrit, quando Variolæ atque morbilli apud multos ægrotos a timore ac metu prima initia capiunt; & ex adspectu alius variolosi aut morbillosi, aut ejus, qui saltem vestigia variolarum adhuc in facie gerit, quis variolis corripitur: vel quando petechiales ac purpuratæ febres eodem modo propagantur: quod tamen non solis ejusmodi contagiosis febrilibus affectibus commune existit, sed aliis quoque affectibus familiare esse solet. Quis enim nescit scabiem aliquando ægrotantes simili modo corripere, quando quis sensibilibus indolis scabiosum videns horrore ac metu perculsus, ne simile quid forsan experiatur, ipsique contingat; mox quasi putans se jamjam correptum esse, sensum molesti pruritus percipit, quo ad scalpendum invitatur, &

& successu temporis verus scabiosus evadit. Epilepsiam, Apoplexiam aliosque graviores morbos haud raro originem timori ac terrori debere, demonstratione diffusa haud indiget, cum toto die ejusmodi exempla occurrant, quæ hancce veritatem confirmant. Ut autem Timoris atque Terroris effectus noxii magis inclarescant, quos edere possunt circa unum specialem, cardinalem, eumque periculosissimum morbum, animo constitui data præsentē occasione, ubi Thema aliquod in augurale elaborandum est, Timoris atque Terroris effectum noxium pro viribus enodare, quem respectu Pestis edere potest ac solet, eoque ipso paucis commonstrare Timorem haud raro Peste pejorem esse: e quo theoremate studebo, ut consilia quædam prophylactica sanæ rationi consona, tempore pestis adplicanda eliciam; & ita quantum potero publicum commodum promoveam. Adsit Divina Clementia conatibus, atque in re ardua vires ingenii suffulciat, quo veritatem sequar, scopulosque feliciter evitare possim.

§. I.

DE noxa Timoris in peste locuturis nobis dubio procul ante omnia incumbet, ut quædam de Pestis indole atque natura præmittamus, quo deinceps tanto planior explicationis via pateat, an & quomodo timor terrorque ipsi noxam adferre possit. Non in hærebimus hic loci quæstioni illi medicorum, an Pestis sit de genere Februm, & an febris in peste præsens sit de Essentia Pestis, an vero sit Symptoma, sine quo Pestis adesse & possit, & soleat. Utut enim nos haud lateat, varios auctores Febres pestilenciales distinguere a Peste, non æque propter gradum vehementiæ ac durationis diversum, sed potius eam ob rationem, quod febribus pestilentialibus de cetero typum febrium continuarum & acutarum servantibus, symptomata veræ Pestis, per certa huic sui propria exanthemata familiaria evadant: Pesti veræ autem, licet dyra illa symptomata secum ferat, febrilis typus præcipue manifestus deficiat: prout inter reliquos Diemerbrockius etiam hanc sententiam tuetur, asserens, febrem ad pestis essentiam non pertinere, eam ob rationem, quod febris, quamvis in vera Peste adsit, non omnia individua eodem tempore ac modo adgrediatur, sed alia individua mox in principio, alia autem demum sub morbi decursu invadat, in aliis vero vix adesse deprehendatur: non possumus tamen, quin potius contrariæ parti magis assentiamur, & cum Unzero sentiamus, quamvis aliqui tempore Pestis repente in platea locisque publicis atque sub muniis consuetis concidere videantur spiritumque efflare, quod inde non statim dici possit, nihil febrile ratione mutationis pulsus, antecedentis horroris, aut vicissitudinis æstus febrilis, ad fuisse, antequam ægri ita mortui conciderint; cum utique multæ
va-

variæque causæ morales subesse possint, cur ejusmodi ægro-
tantes infectionem pestiferam, quam in seipsis senserunt,
nihilominus occultent, ne a consortio aliorum concivium
arceantur: ne dicamus, quod relictis etiam atque neglectis
ejusmodi causis moralibus, multi reperiantur homines ro-
busti ac vegeti, sibi ipsis injuriam inferentes, (die sich selbst
hart seyn) qui, licet horrorem, æstum, capitis dolores, lassitudinem,
aliaque symptomata sentiant, spe bonæ naturæ
freti, hæc omnia negligunt, in publicum prodeundo excre-
tiones pesti consuetas impediunt, & ita miasma contagio-
sum ad interiora magis depellunt, ubi tanto gravius in par-
tes nobiliores, humores, intimamque partium fluidarum
ac solidarum mixtionem sævit, donec mixtione animali tur-
bata effectum lethiferum simul & semel edat, id neque re-
putantibus ipsis ægris, neque observantibus aliis. Id quod
frequentius quoque contingit in febre petechiali, aliisque
malignis epidemicis, quæ non minus ab initio lento gradu
incedunt, ægotantes frequenter securiores reddunt, viri-
busque suis nimium fidentes eludunt, ut tandem in primo
critico termino, prostratis simul & semel viribus, decum-
bere cogantur, & ut plurimum tunc succumbant.

§. II.

Mittimus tamen hæc, & ut nondum decisum relinqui-
mus, an in omni peste, & in omnibus Peste correptis vera a-
liqua febris typica, certum ordinem semper servans, stata-
que tempora observans adfit ac deprehendatur; cum neque
hoc semper sit necessarium, licet si ita esset, optimum esset,
& plures aliæ malignæ atque contagiosæ febres reperian-
tur, quæ, quo magis hunc titulum tuentur, eo citius ac fa-
cilius typicum ordinem ceteroquin speciei febris familia-
rem relinquunt, eoque ipso malignitatis præsentiam ceteris

paribus demonstrant. Hoc tamen asserimus, quod Pests sit morbus epidemicus, contagiosus, summe acutus, & apud plurimos lethifer, id cum febribus contagiosis epidemicis & exanthematicis ad minimum commune habens, atque in eo ad harum indolem proxime accedens, quod more talium febrium nunquam aliter, nec unquam salutariter cedat, nisi per motus secretorios & excretorios, a centro ad peripheriam fientes, quibus Miasma illud pestilentielle valde subtile atque activum, quasi collectum ac concentratum, sub motu humorum nostri corporis circulatorio, a partibus internis nobilissimis, ad extremas ignobiliores, a centro remotas, glandulas nempe aut cutis superficiem, vel ad minimum proxime sub cutim ad partes musculosas demandatur atque ejicitur. Quod, si debite, proportionate, empestive, sufficienter, atque constanter, contingit, salutem hominis, ægrorumque restitutionem pedisequam habet, secus autem vitæ periculum mortemque certissimum, comitem agnoscit.

§. III.

Hoc ut melius inclarescat, necesse est, ut Pests historiam paulo curatius perlustremus, ejusque ordinem invasionis, successus, ac solutionis perpendamus, quo facto asserti veritas clarior evadet. Si itaque Scriptorum de Peste testimonia evolvamus, ad unum fere omnes testantur, ordinarie Peste correptos in principio Horrore percelli, cum præcordiorum anxietatibus, capitis dolore, artuum lassitudine, & insequente post unam alteramve horam calore præternaturali, & pulsus mutatione in celerem & frequentem, ut plurimum tamen debilem ac inæqualem: quo ipso pestis sese prodit, quod cum febribus malignis ac contagiosis reliquis aliquid commune habeat. Porro affirmant, febrem

brems illam per æstum præternaturalem ac pulsum mutatum dignoscibilem sine intervallo continuari per totam morbi periodum, quo continuas febris præsentis demonstratur. Deinde testimonia scriptorum declarant, excretionem certas pesti familiares esse, quæ in omnibus aut ad minimum plurimis peste correptis ordinarie observantur, & quidem tales, quæ a centro ad peripheriam vergunt: quamvis enim & Vomitus, & Diarrhœæ aliquando obtinentium mentionem faciant, nihilominus tamen notanter observant, utramque hanc excretionem neque universalem aut pesti qua tali essentialem, neque utilem aut proficuum esse, sed ad illa pertinere symptomata, quæ vel ab individuali dispositione dependent, vel funestos eventus minantur, vel de specialissima miasmatis pestilentialis communicatione testantur.

§. IV.

Quemadmodum enim Miasmatis pestilentialis accessus in corpus humanum diversimode contingere potest, dum vel per poros corpus penetrare, atque humoribus circulantibus communicari, vel aëre in pulmones attrahi ibique sanguini admisceri, vel cum saliva ad ventriculum deduci valet, ita etiam proximos effectus diversimode edere potest, atque symptomata varia excitare, ut haud incongrue concludamus, miasma pestiferum per salivam specialiter communicatum, & ope illius in Ventriculum deglutitum, facilius in hoc ipso tragoëdias ludere, motusque spasticos vomitorios excitare, sicuti profundiore delapsu ad intestina, hic loci maximas læsiones molestiamque parit, atque dejectionibus alvinis funestis ansam præbet: e contra vero si miasma pestilens magis immediate ad humores devenerit, iisque inniduletur, facilius erit, symptomata

febrilia ut mox cooriantur manifestiora , quam in prænominatis casibus , ubi tardior est miasmatis in humores accessus. Id quod etiam potissimum causam esse autumo, quod Authores de febre in peste semper præsentē hæsitaverint , quoniam non in omnibus individuīs , & quidem præcipue in illis, quæ vomitus in principio experta sunt, statim a principio pulsus æstusque mutationes notabiles ac manifestas deprehenderunt, sed in quibusdam tanquam accessorias observarunt. Unde id ad minimum elucescit, febrem in peste sese manifestare , quamprimum virus morbosum sanguinem & humores aggressum est, atque in illis turbas causatur , eamque vel fortio-rem ac graviorem, vel lentio-rem ac tardio-rem esse , prout miasma vel magis in ipso sanguine, vel in Lymphaticis humoribus hospitatur.

§. V.

Sunt autem dictæ excretiones omni pesti familiares in peripheria corporis contingentes, partim Sudor, partim Maculæ ad petechiales adpropinquantes, partim Carbunculi vel Anthraces, partim denique Bubones. Hæ excretiones enim omni pesti generaliter sunt familiares, ita ut nemo ægrotantium Pestem evadat, cui non una illarum aut plures simul contigerint, nec ullus ægrorum e vivis rapiatur, in quo vestigia illarum excretionum neque in vita, neque post mortē, aut sub morte apparuerint. Ita enim loquuntur qui de peste scripserunt de ejusmodi ægris, qui equidem orthostadii manserunt, aut etiam decubuerunt, nullasque dictarum excretionum experti fuere, quæ tamen vel in momento mortis, vel immediate post mortem per carbunculum, bubonem, vel petechiales maculas sese prodiderunt.

§. VI.

Quæ omnia probe considerata nobis demonstrant,
quod

quod sicut febres Exanthematicæ contagiosæ, & epidemice grassantes, a Miasmate quodam peregrino per aërem ad-
 vecto ortum ducunt, atque eo collimant, ut hoc miasma
 morbosum, quod alterari aut corrigi a Natura nequit, & ta-
 men præsentia sua mixtioni animali e diametro contrarium
 esset, eamque penitus dissolveret, per motus secretorios
 & excretorios humorum, nonquidem ordinarios ac quoti-
 dianos, sed quoad gradum extraordinarie a natura susceptos
 extra corpus tempestive foras eliminetur, & quidem ita, ut
 partibus nobilioribus internis nullam affricare possit labem:
 quapropter motus illi in salutem tendentes a centro inci-
 piunt sub motu cordis pulsatorio mutato, atque aucto, quo
 sanguis tanto melius per partes extremi corporis transpri-
 matur, & sub hac ipsa transpressione continuata ac repetita
 ipsum Miasma cum portione reliquorum humorum quasi
 secedente ad partes ignobiliore cutaneas & subcutaneas
 vehatur, ibique vel summe halituosum per transpirationem
 & sudorem statim excernatur, vel magis concentratum &
 quasi collectum varias exanthematum species formet, ubi
 iterum pro diversitate subtilitatis vel exhalando, vel par-
 tes solidas simul in secessionem aliquam trahendo expel-
 litur, quorum prius potissimum sub maculis petechialibus,
 alterum vero sub variolis, morbillis & purpura, ut & ali-
 quando veris abscessibus in unum locum collectis manife-
 ste contingit; quod inquam ita etiam Pestis ordinarie sese
 gerat, ac simile quid cum febribus illis modo dictis commu-
 ne habeat.

§. VII.

Causam enim primariam Pestis generationi inservien-
 tem quod attinet, nullū dubium est, quin illa in aëre hæreat,
 atque cum aëre communicetur, quoniam omnes morbi epi-

demici hinc originem ducunt, pestis vero morborum epidemicorum & contagiosorum pessimus ac atrocissimus existit. Hanc causam quoque vel materiam peccantem esse summe activā atque subtilem, testatur ipsius effectus penetrans ac subitaneus, quem in corporibus edit, quamprimum illa ingressa est, ut ipsi natura nullatenus resistere valeat. Mixtioni quoque animali hoc miasma plane contrarium esse, eamque invertere, atque ad totalem corruptionem putredinosam disponere, id luculentissime adparet, partim ex effectū lethifero ac deleterio, quem universim per strages plurimorum ægrotantium edit, partim ex effectū vere putredinoso quem experiuntur corpora peste extincta brevissimo tempore, ita ut nequidē post mortem facile obrigescent aut penitus frigescant, sed statim motu intestino fermentativo rapidiore ac vehementiore in actūalem putredinem rapiantur. Ne dicam de illo effectū putredinoso, cui specialiter corpora adhuc viva subjacent sub generatione Carbunculorum pestilentialium, qui in veram putredinē sphaelosam abeunt, & non nisi per secessionem a parte sana salutariter cedunt. Hoc miasma incorrigibile esse, nec in sua natura alterari posse, ita ut in corpore manens indolem suam amittat deleteriam, nullamque amplius noxam edat, testatur eventus, quod peste correpti nunquam aliter, quam adparentibus dictis excretionibus supervenientibus atque legitime & sufficienter succedentibus convalescant.

§. VIII.

Quod porro dicta materia pestifera per ambitum corporis externum ejici, ibique ad partes ignobiliores demandari debeat, ne nobilioribus internis noceat, earumque mixtionem atque structuram invertat & destruat, & quod partes externæ cutaneæ & subcutaneæ ejus præsentiam
melius

melius tolerant, id colligere licet ab effectibus illis maxime funestis, qui miasmatis pestilentis diuturniorem circa interiora detentionem, aut a partibus extremis ad interiora retrocessionem sequuntur: quales sunt cardialgiæ, conatus vomendi, partium internarum inflammationes & sphacellationes, singultuosos & convulsivos motus, cum morte post se trahentes: id quod ex opposito etiam declarant salutare eventus tempestivam venenatæ materiæ expulsiorem ad extrema ordinarie insequentes, in anxietatis præcordiorum sublatione, graviorumque symptomatum, vel præoccupatione, vel si jam ad fuerint, cessatione consistentes; cujus rei testimonia e variis observationibus scriptorum fide dignorum transcribere atque adferre possemus, nisi brevitatis studio incumberemus. Quod vero ipsi motus propter hanc materiam maxime nocivam a natura suscepti a centro ad peripheriam ordinarie tendant, id manifestum est ex mutatione pulsus naturalis in celeriores ac frequentiores, qui prout magis vegetus atque æqualis, aut ex opposito debilis & inæqualis existit, majorem minoremve spem felicitis expugnationis miasmatis pestiferi promittit, notantibus id Sennerto, Foresto, Riverio, Unzero, aliisque: quam pulsus mutationem sequitur exanthematum eruptio, atque sudoris excretio. Unde iterum apparet diversitas partim subtilitatis materiæ, partim ipsius cum reliquis humoribus firmioris cohæsionis ac concentrationis, qua fit, ut vel sub halitus forma & transpiratione per poros cutis quaquaversim e corpore eliminetur, cujus rei luculentissimum testimonium occurrit in Sudore Anglico & quod sub reliquis circumstantiis etiam in Peste Dantiscana observatum fuit, ubi sudores moderati ac tempestivi in numero remediorum salutarium reperiuntur, monente

tamen Domino Referente, non solos sudores aut Udores ægrotos restituisse, sed reliquas excretiones pesti proprias & periphericas ordinarie concurrentes fuisse. Sicuti vero subtilissima ad minimum miasmatis pestiferi portio sub transpiratione excernitur, ita reliqua portio vel comparative non ita subtilis, vel ad minimum reliquis humoribus sanguini nempe aut Lymphæ magis involuta, his median-
tibus, sub forma exanthematum ad certa specialia loca quasi colligitur, atque deponitur, ut diversimode e corpore exterminetur. Petechiæ enim in corpore adparentes de materiæ pestilentis majore dispersione in sanguine testimonium præbent, & sicut hæ nullam actualem secessionem formant, ita materia peccans illis inclusa successive per poros exhalat, disparentibus iterum maculis. Carbunculi vero qui non cutim solum occupant, aut sub cuticula hærent, sed profundius musculosis partibus sub cute jacentibus insident, a miasmate pestifero cum sanguine huc in copia collecto oriuntur, inflammationem specialissimæ hujus particulæ carneæ formant, & per sphacelosam secessionem a reliqua parte sana separantur, ut ita non modo materia peccans cum sanguinis portiuncula corrupta, sed solidæ partis quoque portio simul auferatur ac removeatur. Id quod etiam, licet lentiore gradu, contingit in Bubonibus pestilentialibus, glandulosas partes axillarum, inguinum, aut parotidum occupantibus, ubi miasma illud pestilens non ita activum atque subtile humoribus lymphatico-ferosis ac salivalibus magis immixtum lentio-
rem corruptionis gradum subit, simul tamen partem solidam quam occupat, in corruptionem trahit abscessum formando aut Ulcus, quo iterum partes fibrosæ glandulam constituentes ex parte corrumpuntur atque abscedunt: & licet aliquan-
do

do de Bubonibus sponte discussis mentio injiciatur, nemo tamen non videbit ex collatione observationum, quod ejusmodi casus ad extraordinarios magis pertineant, quam ad quotidianos & ordinarios, neque dissipationem Bubonum sine concursu aliarum excretionum periphericarum salutariter cessisse: quemadmodum in Relationibus Pestis Gedanensis mentio fit sudoris tunc temporis concurrentis, & negotium sublevantis. E quibus omnibus hactenus propositis concordem naturæ motum in Peste ac reliquis Febribus epidemicis ac malignis sufficienter elucescere putamus.

§. IX.

Quo præstito necesse nunc reputamus, ut necessarias conditiones perpendamus, quæ respectu materiæ, viarum, ac motuum requiruntur, ut negotium sequestrationis & excretionis materiæ illius lethiferæ commode, prompte, ac legitime administretur, feliciterque succedat. Ad omnem secretionem & excretionem in corpore humano vivo rite expediendam requiri, 1) Materiæ movendæ debitam dispositionem mobilitatis, ac proportionem relativam ad vias per quas moveri debet; 2) Reciprocam viarum proportionem ac dispositionem; ut quicquid moveri debet per illas moveri possit: & 3) Motuum ipsorum debitam directionem, atque constantem, nec ullo modo turbatam continuationem, dubio procul apud omnes qui veram theoriam praxinque medicam callent adeo notum atque receptum esse censemus, ut probatione nulla indigeat: quapropter sine temporis dispendio ad theorematis hujus applicationem & explicationem in materia substrata nos convertimus. Materiam itaque si consideremus, quæ in Peste cum sanguine & reliquis humoribus ad corporis peripheriam promoveri debet, ibique excerni, omnium primo supponi-

ponimus ipsius hospitium in humoribus, si enim in humoribus non hæret, neque ad humores deveniat iisque communicetur, nullatenus cum humoribus circulari, & ad loca excretionis devehiri poterit. Unde haud contra rationem concludere licebit, non omne miasma pestiferum in corpore hærens, pari facilitate ac promptitudine ad exteriora organa excretionum propelli posse, sed differentiam aliquam notabilem hic occurrere, prout nempe miasma pestilens partibus fluidis aut solidis magis communicatum inhæret. Cum enim in propatulo sit, contagium morbosum variis modis sese corpori nostro insinuare, atque vel promptius ac citius, vel tardius ad humores pervenire, necessarium est, ut hinc effectus illi præsentiam contagii morborum demonstrantes variis symptomatibus sese prodant, nec in omnibus individuis iidem maneant, aut eodem semper ordine occurrant.

§. X.

Si enim hoc miasma ex aëre contaminato proxime per inspirationem ad pulmones trahatur, iisque communicetur, proximior sane patet via ut hic loci cum sanguine pulmones permeante misceatur, & ita promptius humorum massæ communicetur, quo facto tanto promptius quoque motibus illis per peripheriam corporis excretoriis subijcitur. Idem tere contingere potest, quando miasma morbosum pestilentielle per poros cutis corpus aggreditur atque ingreditur, & ibi immediate magis humoribus transfluit & perpetuo circulantibus communicatur, ibique hospitium suum invenit. Quapropter haud mirandum est, quod ejusmodi Subiecta promptius horripilatione aliqua, cum mutatione febrili æstiosa plus minus vegeta corripiantur, & reliquas commotiones febrilibus æmulas magis manifeste experiantur, sub quibus etiam dictæ excretiones periphericæ facilius promptiusque procedunt & absolvuntur. E contrario, si virus pestilen-

stilentiale sub actu respirationis quidem per os portam ingrediendi apertam inveniat, minus promte tamen ad pulmones deferatur, sed potius Salivæ magis permixtum cum illa improvide deglutita ad ventriculum immediate descendat, quid mirum si tunicæ nervæ ventriculi ejusque porulis infideat, & ipsi substantiæ ventriculi ex parte infidias struat, cardialgias, vomitus, aut vomendi conatus, & inflammationem producendo; aut ad minimum justo diutius ibi hæreat, tardiusque ad Intestina tenuia descendat, & mediante chylo ad sanguinem perveniat, atque hanc ob rationem magis periculosa symptomata inducat, antequam ipsius secretio & excretio ex humoribus suscipiatur, & tunc demum motus illi secretorii & excretorii sese manifestent, quando humorum massæ communicatum virus in ipsis potissimum effectum noxium edit: & hanc potissimum rationem subesse censemus, quod Authores mentionem faciant ægrotantium, qui ab initio morbi pestilentis nullam aut non notabilem junctam habuerint febrim, sed apud quos successu temporis demum accessit, ideoque statuendi ansam ceperunt, dari Pestes sine febre, cum tamen ex nostra ad minimum sententia rectius dictum fuisset, non in omnibus individuis peste correptis occurrere febrim, unum eundemque typum a morbi principio ad finem usque observantem.

§. XI.

Deinde respectu Materiæ quoque requiritur, ne quantitas ipsius præsens sit nimia & excessiva, sed ut proportionate respondeat naturæ viribus motricibus: cum enim materia miasmatica generaliter ita sit comparata, ut citissime corruptelam partibus nostri corporis fluidis ac solidis imprimat, ideoque etiam pro avertenda hac corruptela & noxa irreparabili citiorem ac tempestivam sui subactionem concentrationem, & ejectionem mereatur, atque requirat,

C

magna

magna autem quantitas materiæ movendæ, vel majus temporis spatium, vel intensiorem motuum gradum requirat, si cito ipsius ejectio absolvi debeat; sane hinc necessario fluit, magnam miasmatis pestilentis quantitatem, & motibus naturæ imparem, impedimento esse, quo facili negotio eliminetur: cum vel tragoëdiam suam luderet sine impedimento, si motus quoad temporis spatium longinquiores & tardiores ipsi opponerentur, vel vires naturæ motrices superaret, easque cito debilitare poterit, ne pares maneant pro tota excretionem expedienda, & sub medio labore succumbant. Id quod frequentissime etiam contingit & observare licet, ubi copia exanthematum extraordinaria de majore quoque mole miasmatis pestiferi non modo testatur, sed eo ipso faciliorem exanthematum retrocessionem causatur.

§. XII.

Quemadmodum quantitas materiæ excessiva aut minus proportionata negotiū secretionis & excretionis impedire valet, ita non minus qualitas ipsius in culpa esse potest retardati aut sufflaminati negotii excretionis. Consistit autē in nostra substrata materia qualitas illa peccans maximopere in nimia miasmatis pestiferi tenuitate, qua non modo aptissimū est, ut poros corporis externi penetrare, atq; per illos corpus ingredi valeat, sed quando semel humores intravit, sub ipso-
rum motu circulatorio quaquaversim per poros colatorio-
rum transire atque de novo humoribus permisceri potest, antequam ad partes ignobiliore externi corporis demandetur, unde facile contingit, ut vel undique dispersa materia nimis tarde ad cutim propellatur, vel demum huc propulsa exanthemata quoque dispersa, (quorum in specie maculæ petechiales præcipue minimæ illæ instar sanguinis adpersi adparentes pertinent) formant, quæ raro bonæ fidei esse solent; vel plane non aut insufficienter ad peripheriam corporis

poris detrudatur, remanente materia peccante in humorum massa, vel partibus interioribus nobilioribus, quarum corruptionem sphacelofam post se trahit, & ita sine apparentibus sub morbi decursu externis pestilentiae signis tragicos effectus edit, donec tandem vel sub ultimo vitae momento, & ultimis movendi conatibus naturæ, vel denique post mortem, exanthemata alias solennia, licet deteriore adspectu, oculis adspicientium sese fistant: cujus generis sunt maculae lividae atque ex coeruleo nigricantes, aut Carbunculi eundem colorem præ se ferentes.

§. XIII.

Vias quod concernit per quas materia excernenda moveri ac promoveri debet, per illas intelligimus partes solidas fibrosas, sive ipsa fuerint vasa, sive reliquæ partes carnosæ, glandulosæ, membranaceæ, per quas aliquid ordinarie secerni & excerni solet ac potest: in quibus debitam requirimus proportionem permeabilitatis, ita ut neque nimia laxitas, neque nimia illarum strictura impedimento sit excretioni perpetranda. Laxitas enim partium solidarum præcipue internarum nimia, testatur de roboris tonici necessarii defectu, & arguit insufficientem & nimis languidam materiæ peccantis expulsionem, quoniam pro hac impetranda utique requiritur moderatus quidem, sat vegetus tamen cordis & arteriarum pulsus, unde sub hujus debilitate præcipue & inæqualitate truculenti pestis effectus indies majus incrementum capere solent. Non autem solum cor cum arteriis debito ac proportionato gaudere debent tono, sed reliqua etiam viscera depurationi & percolationi humorum dicata: si enim hæc naturali debitoque tono destituta fuerint, facile exinde infarctus opilatorii viscerum oriuntur, & satis impetuose cum humoribus irruentibus materia pestilentialis illis impingitur, ut

C 2

ibi

ibi diutius hærens tanto promptius corruptionis labem partibus fluidis & per has solidis affricare possit. Si autem exteriores quoque corporis solidæ partes cutaneæ & subcutaneæ quoad tonum valde relaxatæ sint, facili quoque negotio humores pestifero miasmate inquinati in illas irruere possunt, & majora non modo exanthemata producere, sed sub relaxato illarum tono vehementius quoque corruptione putredinosa in illas agere, dum stagnationi & stasi via portaque panduntur. Quemadmodum vero nimia viarum laxitas dictas producere potest noxas, ita majorem adhuc efficaciam nocivam exserere potest nimia illarum strictura: hac enim præsentem in partibus internis transitus humorum liberior per illas ad depurationem maxime necessarius impeditur, eoque ipso miasma morbosum tanto diutius illis inhæret, nec cito satis ex illorum nexu dissolvitur, ut prompte ad excretoria organa subcutanea deferri queat. Quodsi vero externus habitus corporis nimium sit strictus, sive id contigerit a causis naturalibus ætatis v. g. ac temperamenti, sive a causis non naturalibus, refrigeratione Animique pathematibus, satis superque patet, hanc stricturam periculosissimam esse ac maxime funestam: hæc enim causa est, ut non modo ipsa protrusio miasmatis pestiferi ad partes extremas nude & simpliciter sufflamine-tur ac impediatur, sed actu quoque ad interiora repellatur, ibique gravissima damna producat. Unde ad unum omnes affirmant authores, quotquot de Peste scripta reliquerunt, aërem frigidum esse evitandum, ægrosque ab illius accessu præmuniendos: animi quoque pathemata præsertim terrifica & meticulosa retrocessionem exanthematum post se trahere certissimam, cum productione funestissimorum symptomatum & ipsius mortis repentinæ consecutione.

§. XIV.

Motuum ipsorum respectus requirit, ut, si miasma pestilentielle per secretiones & excretiones ordinarias debite e corpore ejici debet, non sint nimii ac præcipitanter suscepti: hoc enim si fit, laborioso quidem conatu ac impetu materia ejicienda ad organa excretionis deduci potest, sed cum non sola protrusio materiæ noxiæ ad partes ignobiliores sufficiat, verum separatio partis corruptæ a sana in Carbunculis, maturatio in Bubonibus, & exhalatio debita in maculis etiam requirantur, hæc omnia autem debitam motuum cœptorum jugemque continuationem, ac materiæ semelexpulsæ constantem detentionem in extremitate corporis supponant, facile contingit, ut cœptis impetuose motibus expulsiis, fibræ motrices partium solidarum nimis cito in tono suo relaxatæ officio ulterius præstando impares fiant, ipsique naturæ vires deficient pro sustinendo totius morbi decursu, unde sponte exanthemata jam jam apparentia disparent cum vitæ periculo atque gravissimorum symptomatum ortu: e quo fundamento etiam fuit justissima observatio Medici Gedanensis, quod ubicunque crisis per exanthemata nimis cito & impetuose facta fuit, ibi successu temporis res male cesserit, & quod hoc ipsum familiare in specie fuerit Cholericis atque sanguineis. Hæc duo enim temperamenta, sicut ad suscipiendum motus atque labores pronissima atque promptissima existunt, ita sanguineum propter fibrarum mollitiem citissime defatigatur atque a motibus desistit si hi diutius cum labore continuari debent: cholericum vero quemadmodum in moralibus præcipitantia sua sæpissime sibi ipsi damnum infert, atque consiliorum de reliquo bonorum bonum effectum evertit ac invertit, ita in vitalibus quoque ejusdem indolis observatur, ut motus quidem prompte ac ve-

C 3

gete

gete suscipiat, sed eo ipso etiam facillime materiam movendam in partes impingat, & materia forsan non sufficienter disposita, finis propositi impedimentum inveniens, tædio quasi affectum, ipsum negotium antea studiose cœptum nunc negligat, spernat, ac derelinquat.

§. XV.

Neque ex opposito conveniunt motus insufficientes ac inconstantes, si enim miasma virulentum e corpore ejici atque expelli debet, necesse est, ut motus a centro ad peripheriam tendentes non solum incipiantur, verum etiam continuentur, & quidem non modo simpliciter continuentur, sed ut debito vigore natura illos prosequatur, ne labascentibus motibus iisque remittentibus materia excernenda in itinere hæreat, atque humoribus permixta manens, his corruptelam adferat, totamque mixtionem animalem dissolvat, sed tempestive e consortio humorum disjiciatur, atque ad loca excretoria demandata ibidem constanter detineatur. E quo fundamento a Practicis Pulsus debilis & inæqualis ad signa & symptomata periculosa refertur, quoniam sub illo materia miasmatica vel plane non, vel insufficienter, vel nimis tarde expellitur, & ita spatium & tempus acquirit in mixtionem animalem crudeliter sæviendi, ægrosque interimendi. Quamquam autem dicto modo & excessus & defectus motuum in hoc negotio noceant, omnium maxime tamen irreparabile damnum ordinarie afferunt Motus retrogradi, materiam excernendam retropellentes, qui inverso plane ordine a peripheria ad centrum tendunt, & semper in hoc negotio tanquam præternaturales sunt habendi. Dependent autem a spasmo fibrarum externi corporis, quo pori ac interstitia fibrarum præcluduntur, ut vasa quoque interspersa & subjacentia stringantur & comprimantur, quo ipso

so humores in universum a corporis peripheria repelluntur ad interiora, ibique congerie sua non solum restagnationes, infarctus, & anxietates producunt, sed miasma quoque jamjam per exanthemata expulsum, aut proxime expellendum simul retroprimitur, humoribus denuo permiscetur, & ita naturæ novus labor paratur, quem ordinarie ferre nequit, ideoque sub illo, advenientibus gravissimis symptomatibus, cardialgicis, lipothymicis, convulsivis, vomibundis ac dejectoriis, sphacelatoriis internis, succumbit: siquidem hac de re sufficienter testatur omnis medicorum cohors, qui de Peste scripserunt, & uno ore fatentur, nihil nocentius esse, quam Exanthematum retrocessionem, unde omnis generis refrigerationes, aliasque causas retrocessionem producentes, consiliis præcavere conantur, satis superque indicantes, quod in excretionem periphericam rite & tempestive promota unica & optima consistat methodus curandi pestem: siquidem reliquas excretionem omnes, per Vomitum, Hæmorrhagias, Diarrhoëas, atque Urinam contingentes, non modo infidas, sed suspectas & periculosas, imo positive noxias in plurimis esse declarant, quarum eventus fortuito aliquando bonus, nequaquam in regulam imitationis flecti potest, sed potius ad sanationes per accidens referri meretur.

§. XVI.

Cum vero Motus in corpore vivo fientes, tam humorum locales, quam partium tonici, a principio movente, quod Naturam vocamus, dependeant; & hanc tanquam efficientem causam agnoscant, rei necessitas sane requirit, ut hujus etiam rationem habeamus: quo intuitu sponte fluit ex iis quæ hætenus deducta sunt, quod Natura gaudere debeat 1) ad agendum & movendum debita promptitudine, 2) in agendo debita constantia. Ad prius requiritur naturalis

ralis dispositio, vigor, & alacritas, cujus respectu notabilis differentia occurrit intuitu temperamentorum, dum Phlegmatici & Melancholici ex naturali consuetudine actionum, & dispositione humorum atque viarum, tanta ad omnis generis motus promptitudine & alacritate non pollent, quæ gaudent Sanguinei atque Cholericæ: unde hi utique ad susceptionem motuum contra materiam morbosam expugnandam aptissimi sunt, quamvis de reliquo respectu constantiæ in agendo aliquid in illis desiderari possit. Ad posterius, nempe in agendo constantiam, necesse est, ut Natura debita gaudeat tranquillitate in omnibus quos suscipit actibus tam vitalibus, quam moralibus etiam, cum utrique magnopere inter se conspirent, & unus ab altero facile alteretur. Unde haud immerito concludimus, ex hoc capite magis fidentem esse Sanguineis, atque Phlegmaticis, quippe qui difficulter satis a curis animum angentibus afficiuntur, sed ab illis liberiores, quævis in vita humana obtingentia facilius & æquali animo ferre consueverunt, cum e contrario Cholericæ & Melancholici respectu ab iracundia, aut terrore ac metu facillime alterentur. Quoniam vero temperamenta puriora haud ita frequenter occurrunt, ut mixta, e mixtis ea in hoc genere feliciora sunt æstimanda, quæ tali mixtura gaudent, ut temperamenta activiora a tranquillis moderamen accipiant. Quæ omnia tamen, licet in se spectata vera sint, atque generaliter ita se habeant, exceptionem aliquam notabilem subinde patiuntur: quamvis enim temperamenta in statu naturali considerata, moderata sua proportionem ac miscela, motuum proportionatam moderationem post se trahant, nihilominus tamen nullum reperitur, cujuscunque mixturæ sit, temperamentum, in quo non alterationes motuum ab externis objectis aut internis, per animi pathemata occurrerent. Unde tot observationes pro-

prostant de Morbis ab animi pathematibus iracundis, meticulosis, terrificis, vel excitatis atque productis, vel in deterius ruentibus, ac periculorum symptomatum concursu aggravatis: a quorum classe quoque non excipitur ipsa Pests, de qua omnes fere Scriptores testantur, eandem per animi pathemata tam excitari, quam graviores reddi: quapropter etiam ab omni ævo tantopere commendata fuit animi libertas atque tranquillitas, a curis, metu, atque terrore, cum Observationibus adjectis de iis, qui solo timore aut terrore perculsi Peste correpti, eaque e vivis subrepti fuerunt. Ubi quidem circa Pests productionem a terrore aut metu eam sententiam non fovemus, quasi solus metus aut terror, sine omni contagii pestilentis concursu, atque materiæ peccantis præsentia in corpore veram pestem producere apti sint, sed quod potius dicta animi pathemata, si aliquod miasma pestiferum jam haustum fuerit, aut simul excipiantur, ejus expansioni & evolutioni promptiori inserviat, citiusque morbum pestilentem manifeste prorumpere faciat. Deteriorationem autem pestis quod spectat, nullum est dubium, quod majora incrementa ab ejusmodi pathematibus animi capiat, si illa accesserint mox ab initio morbi, ubi statim naturam perturbant, ut omnia trepide, anxie, turbulenter & inordinate agat, ideoque nec debita promptitudine, nec debita constantia in agendo utatur: si adveniant sub reliquo morbi decursu, ubi motus hætenus legitime susceptos atque continuatos,urbatione animi interveniente ita invertunt, ut nunc omnia heteroclyta evadant, contrario, aut turbulento, magis quam par est, modo peragantur; unde tot periculosa symptomata cardialgica, repulsoria, spastica, convulsiva, deliriosa, sphacelosa, mortem post se trahentia oriuntur.

§. XVII.

Quod ut melius patefcat, timoris atque terroris effectus in corpore humano vivo generaliores paulo penitius sunt indagandi, quo facto clarissime adparebit, illos negotio illi secretorio & excretorio e diametro contrariari. Ad liberum omnium humorum legitimumque circulum, & motum localem, atque hinc partium heterogenearum in illis hærentium pendentem sequestrationem & sequentem excretionem, necessario requiri viarum permeabilitatem ita in aprico est, & superius jam explicatum; ut diffusiore repetitione ac probatione non egeat. Sub viarum permeabilitate autem non solum intelligimus vasorum strictæ ita dictorum patulam ac apertam dispositionem ut a nulla materia præternaturali obstructa sint, sed, cum humores non in nudis vasis ubique locorum circulentur & moveantur, verum in substantiam partium porosarum ac fibrosarum ex parte protrudantur, atque per illas transpellantur, quibus tamen vasa interspersa sunt, & ubique per universum corpus ab illis moderationem amplitudinis, accipiunt; has etiam partes sub viarum titulo comprehendimus, ideoque in illis parem dispositionem permeabilitatis requirimus atque exposcimus, ut tam vasa ipsa amplitudinem suam liberam retineant, quam humores transpellendi respectu fibrarum ac interstitiorum nullum inveniunt impedimentum, quod ut ita fiat, tonus fibrosarum partium legitime debet esse constitutus, motusque tonicus talis esse, ut partium solidarum internarum robur vigeat, nec motus illarum a materiæ movendæ quantitate nimia superetur, sed observata debita utriusque proportionem circulus humorum libere celebretur: externarum autem partium fibrosarum tonus & tonicus motus aliquo modo remissior requiritur, ut vigente internarum motu tonico, & celerio-

leriore existente humorum transpulso, hi in externis liberum inveniant transitum, spatium, nec ullum a spastica contractione fibrarum impedimentum.

§. XVIII.

Hunc rerum statum si attendimus, quotidie videmus, in statu plane naturali hunc esse naturæ ordinem, sub quo pulsus vegetus præcipue de motu cordis vegeto, ejusque robore tonico testatur, remissior autem extremæ peripheriæ tonus transpirationi insensibili, nec non sudori moderato patrocinator: quemadmodum de reliquo etiam circa omnes reliquas naturales excretiones idem requiritur, ut nempe in termino excretionum a quo intensior motus, in termino autem ad quem vel ipso loco excretionis remissio quædam motuum tonique laxitas adsit. Cujus asserti veritas non modo a priori facile nostrum conceptum subit, sed a posteriori quoque nempe ab effectu contrario haud difficulter probatur; quamprimum enim corpus externum ab aëre ambiente frigido notabiliter alteratur, statim adparet fibrosarum partium constrictio, cutisque crispatoria contractio, papillarum nervearum elevationem visibilem post se trahens, & omnem transpirationem sensibilem ac insensibilem non modo in momento tollens, sed mediante motu sanguinis retrogrado, hujusque repressione ad interiora, totius superficiæ frigus atq; pallorem inducent. Sicuti hoc quotidie in statu sanitatis contingit, licet quotidie non ab omnibus attendatur, ita simile quid in statu præternaturali atque morbofo toto etiam die occurrit, cujus exemplum notorium esse possunt febres, sub quibus, præsentem frigoris aut horroris paroxysmo, nulla fit per emunctoria cutis excretio, imo nequidem sub omni febrili æstu, quoniam non per totum æstus febrilis decursum externa corpo-

ris superficies ita disposita est, ut aliquid sudoris aut madoris transmittat, sed poris tunc temporis angustatis sudori ac transpirationi viam præcludat, qui tamen rerum status mutatur, quæ n primum habitus externus laxior evadit, & pori magis patuli materiæ transeunti viam locumque concedunt: unde haud contra rationem loquuntur, qui afferunt sub paroxysmis febrium spasmodum adesse, eosque relaxato spafno cessare, si modo sano sensu ad theoriam febrium hoc dogma adplicetur.

§. XIX.

Animi pathemata, sicut diversa & varia existunt, ita quoq; diversos ac varios in corpus vivum exserere effectus omnium dierum experientia loquitur. Sic enim quemcunque gaudio affectum videmus, in illo facile observamus sanguinis & reliquorum humorum extraordinariam quidem & a statu exquisitæ naturali aliquatenus deflectentem, placidam tamen commotionem ab interioribus ad extrema: Pulsus enim est naturali celerior, non tamen ultra modum exacerbatus, habitus corporis externus fit magis floridus, humoribus blande transcurrentibus turgidulus, moderate calidus, tactu mollior, & sicut animus cum corporis dispositione valde conspirat, ita nullo existente aut occurrente motuum tunc temporis impedimento, manet tranquillus, æqualis, suamque quam fovet tranquillitatem aliis quoque per gestus placidos, omnisque generis actiones liberas tranquillas atque æquales manifestat, & quasi communem reddit. Ira e contrario commotus, cum rem aliquam adversam aut noxiam, vel actum talem, vel ad minimum mente conceptam, avertere studeat, eique vi resistere intendat, non minus pulsus, cordisque motus mutationem experitur manifestam; & quidem cum priore generaliter eandem, extraordinarie acutam, & a centro ad peripheriam

ver-

vergentem, specialiter tamen distinctam quoad gradum & impetum, hic enim nihil fit placide, æqualiter atque tranquille, sed impetuosa ac repentina oboritur motus pulsatorii exacerbatio, ita ut uno quasi momento totus corporis habitus non modo caleat, sed æstu corripatur, arteriæ circa caput visibiliter pulsant, turgeant, tumeantque, oculi fulgeant, omnesque actiones & motus totius corporis de vehementia motuum contra rem adversam a corpore avertendam testimonium perhibeant: motus enim voluntarii quoque a corpore extrorsum tendunt, & nisibus, ausibus, ictibus violentis absolvuntur: ita ut ne verba quidem sine violentia proferri queant, sed ore quasi spumescente ac salivam fundente protrudantur; ita tamen ut dictæ actiones gradu mox descripto aliquantum discrepent, prout vel temperamentum magis vel minus Cholericum est, aut iracundia ab alio quodam animi pathemate, timore v.g. ac metu sinistri eventus infringitur ac sufflamina-
tur, ubi tamen ordinarie in tali quoque casu facile est, intentionem voluntatis generalem, in facie legere, & ex ad-
spectu percipere, ejusmodi individuus intolerabile esse & maxime molestum, tritum illud, vana sine viribus ira. Nec rarum quid est, quod motus ejusmodi primo sub morali intentione contra rem a corpore remotam suscepti, de-
inde in corpore non modo continentur, sed in corpus proximum redundant quando a commotabile, eaque in massam humorum transfusa, febres acutæ biliosæ oriun-
tur, sub quorum decursu ordinarie motuum excessus varii generis, præ defectibus illorum vigere atque concurrere solent.

§. XX.

Plane contrario modo se gerunt Timor, ac Terror, & effectus prioribus adversos in corpore producant. Quem-

admodum enim Timori ordinarie & primario subjiciuntur Melancholici, & qui potissimum de hoc temperamento participant, ita notissimum quoque est in genere, quod hæc timida & meticulosa subjecta, in quocunque periculo moraliter considerato, vel vero & imminente, vel saltem ficto, aut ad minimum satis procul adhuc absente, non consilium de resistendo, sed de fuga capiant, ac omni modo tempestiva fuga sibi prospicere cupiant: aut si consilium de fuga non sit applicabile, vel sub perpetuis tergiversationibus plurima consilia anxie quærunt, modo huic modo illi infutunt, vel tandem ad desperabunda consilia delabuntur, sine præmeditatione aut consideratione de eventu prospero aut funesto instituta. Hæc si ad vitales actiones applicemus, & melancholicos ægotantes adspiciamus, nihil observatu solemnius est, quam, quod Melancholici & meticulosi, præcipue si morbum quendam ex prægresso timore acceperint, variis ac multum repetitis motuum anormalis subjiciantur, unde in affectibus chronicis modo obstructions varii generis, modo e diametro oppositas excretiones, mox motuum remissiones, mox eorundem exacerbationes experiuntur, sicuti in acutis febrilibus affectibus, ad deliria, non equidem violenta ac furiosa, quibus aliis nocere possent, sed timida & meticulosa, ut sese abscondant, periculum imminens effugiant, seque ab aliorum consortio subtrahant, pronissimi sunt. Quamobrem ex generali illa consuetudine maxime obnoxii sunt retrocessionibus humorum ab exterioribus ad interiora, anxietatibus præcordiorum, intarctibus viscerum, eorumque obstructionibus, & quamvis aliquando intervalla motuum a centro extrorsum tendentium sub æstibus volaticis occurrant, ea tamen minus constantia existunt, & sub multa anxietate & tergiversatione contingunt, citoque iterum dispa-

disparent. E quibus manifeste adparet, timorem tale animi pathema esse, quo motus rationales & vitales ita pervertuntur, ut neque libere & tranquille, sed anxie, trepide, inconstanter, aut tandem desperabunde, neque in naturali ac consueto ordine, sed potius ordine inverso, & vitales præcipue a peripheria ad centrum celebrentur, humores ad interiora repellantur, aut titubante motu hinc inde vehantur. Unde meticulosi in timore constituti vel pallent & frigent, vel inconstanter & per vices modo pallent ac frigent, modo calent ac instabili rubore perfunduntur: eoque ipso indicium præbent timorem negotio secretionum & excretionum legitimarum periphericarum magnum præjudicium adferre, siquidem hoc placidis, ordinatis, constantibus motibus humorum a centro ad ambitum corporis expediri debet.

§. XXI.

Idem quoque fere contingit in Terrore interveniente saltem gradu temporis & vehementiæ diverso. Sicut enim timoris effectus in corpore redundantes quasi continui & diutius continuati sunt, meditationem & attentionem quasi perpetuam conjunctam habentes, ita purus terror repente ac vehementer a causa minus prævisa oboritur, citoque ac vehementer animum percellit, ita ut, pro diversitate impetus terroris, aut temperamenti purioris, vel magis mixti; nec non consuetudinis moralis, aut teneritatis ac imbecillitatis, vel repente fugam meditetur, vel plane nescius quo se vertat, ab omni actu & motu abstrahat, & ne fugam quidem capiat, sed periculo absque omni consilio succumbat. Cum hisce moralibus perterritorum circumstantiis penitus in momento concordant motus vitales: primo enim tonicus exteriorum fibrosarum partium motus ultra modum alteratur, & cito vehementerque intenditur, spastico modo, ut faci-

facies & reliquæ extremitates non modo palleant, & ad tactum frigeant, sed actu tremant, atq; contractæ macilentæ adpareant, retrocedente ab extrema corporis peripheria sanguine ad interiora, cum totius cutis horrore, regurgitatione sanguinis oppressoria circa cor & pulmones, unde motus cordis pulsatorius a sanguinis mole repente irruente obruitur, pulmones sanguine infarciuntur, ideoque & pulsus & respiratio sufflaminantur, animi deliquia & lipothymia oriuntur. Pulsus cordis licet in totum non cesset, tamen non æqualiter, sed tremule ac palpitando peragitur; donec redeunte ad se animo motus quoque vitales primi atque primarii, pulsus nempe & respiratio novum incrementum capiant, ubi primo sub suspiriosa respiratione sanguis e pulmonibus propellitur, & ita cordis pulsus ad se redit, successive liberior fit, sanguinemque ad exteriora propellit, quorum spasmus relaxato nunc etiam sanguis liberiores hic ingressum, invenit, ut partes extremæ iterum calere, rubere incipiant, & ad statum naturalem redeant. Quæ omnia, sive leviori, sive graviore gradu contingant, sufficienter asserti veritatem confirmant, terrorem motus humorum a corde ad partes sufflaminare, impedire, imo pro re nata totaliter abolere, (id quod in illis accidit, qui a terrore vehementissimo repente demortui concidunt) humores ad interiora repellere, atque negotio secretionum, & excretionum periphericarum contrariari.

§. XXII.

Quemadmodum vero paucis & breviter utriusque pathematis animi effectum singulatim descripsimus, ita non minus notandum venit, quod haud raro utroque inter se invicem concurrant, & timor cum terrore jungatur, aut timor ex terrore oriatur: unde deinceps mixti effectus originem

ginem ducunt variisque phœnomenis ac symptomatibus, neque ab uno neque ab altero horum pathematum solitarie deducendis ansam & occasionem præbent. Offerunt sese ejusmodi animi pathemata mixta, ubi metus & terror simul concurrunt, præcipue in temperamentis mixtis: timori enim in se spectato puriori & firmo non æque facile omnia subjiciuntur temperamenta. Cholericæ enim subjecta per se & ex sua natura non facile timent, quoniam respectu temperamenti sanguinem fluxilem, tenuem, & fibras satis robustas possident, atque ex hoc fundamento consuetudine gaudent, ut motus humorum ubique per corpus libere procedant, & succedant, nec facile impedimentum in corpore percipiant. Non magis quoque infaustos eventus timent sanguinei, quoniam respectu temperamenti consueti sunt, ut sanguis tenuis per vasa licet minora tamen copiosa sanguifera, & habitum corporis spongiosum facile transpellatur, nec impedimentis multum expositus sit. De Melancholicis supra jam monuimus, quod timori ac metui maximopere expositi sint, & quidem eam ob rationem, quoniam ex spissitudine sanguinis & arctitudine partium porosarum, fibrarumque strictura, semper humorum progressum tardiozem & impeditiorem experiuntur, ideoque continue, ut sollicitè agant, & sub maxima circumspèctione motus suscipiant, adsuescunt. Phlegmatici vero sicuti laxitate fibrarum maxima & nervosi generis imbecillitate in comparatione ad reliqua temperamenta laborant, simulque humores mucidiore possident, ita ab objectis difficulter moventur, sed potius torpidi, segnes, somnolenti existunt, nihil curant, & indifferenter quasi omnia adspiciunt & ferunt, ideoque timori minus obnoxii evadunt. Quamvis autem non omnia temperamenta pura timori obnoxia evadant, tamen ex opposito haud ullum

E

faci-

facile temperamentum parius quoque, occurrit, quod a terrore æque immune existeret: cum enim terror tale sit animi pathema, quod ex improvise, repente, ac vehementer animum percellit, nemo fere hominum erit, qui non ullo modo, licet gradu impetus ac durationis diverso, ab illo afficiatur & alteretur: & cum pauciores personæ temperamentum purum possidentes reperiantur, hinc etiam est, quod pauciora subiecta tam a terrore, quam ab omni timore immunia maneant, præsertim cum terror semper a tali objecto moveatur, quod etiam timorem movere potest: unde haud difficulter contingit, ut terrorem aliquem prægressum timoris firmior impressio, ejusque continuatio sequatur. Nec plane hic oblivioni danda est Consuetudo timoris atque terroris, ubi aliquando certa individua post terrorem vehementiorem semel iterumque perpeßum, aut post morbum aliquem graviorem, præcipue cui animi pathemata primas radices suppeditarunt, postmodum tantopere terrori subji-ciuntur, ut a levissima quoque causa, strepitu forsan, aut alia quacunque occasione perterreant vehementissime: unde haud raro occurrunt ægrorum querelæ & expressiones, *ich bin von dieser oder jener Krankheit her/ oder von diesem oder jenem grossen Schrecken/ so schreckhaft worden/ daß ich iezo über alles was sich nur reget/ erschrecke.*

§. XXIII.

Explicatis ita generaliter effectibus timoris atque terroris, haud difficile erit specialiter indicare cur timor ac terror in Peste adeo existant noxii, ut hæc ab illis gravior, & magis periculosa evadat. Dictum est in superioribus de Peste, quod unica ipsius curatio fida ac certa fundamentum habeat, in excretionibus miasmatis morborum per corporis peripheriam, tempestive, ordinate, sufficienter, & constanter, a natura susceptis ac continuatis, & quod omnes

nes

nes reliquæ excretiones ab hoc ordine secedentes periculosa, dubiæ, aut funestæ existant: Monstratum quoque fuit, ad hoc negotium requiri, præter materiæ movendæ legitimam dispositionem, viarum & organorum debitam aptitudinem, ut materiæ noxiæ secretio & excretio nullum reperiatur impedimentum: Porro indigitatum est, necessariam etiam esse Naturæ ad agendum & movendum promptitudinem, & in agendo constantiam, ne ex una parte nimis tarde motus necessarios contra materiam ejiciendam suscipiat, aut ex altera turbulenter agat, vel nimis cito ac intempestive ab actibus & motibus necessariis desistat. Quicquid itaque vel naturam in suis motibus turbando, vel vias alterando excretionem materiæ pestiferæ tempestivam, sufficientem atque constantem, vel in genere, vel speciatim per debita loca, sufflaminare, invertere, impedire, aut plane evertere potest, omne id in Peste maxime noxium existit. Jam vero in superioribus deductum est, Timorem præcipue naturam ita afficere, ut in actibus & motibus suis tam rationalibus quam vitalibus non promte aut constanter, sed timide, sub multis hæitationibus, titubationibus, fluctuationibus, trepide, & inconstanter agat: Terrorem vero maxime motum tonicum extremarum partium ita alterare, ut nude constrictiones partium fibrosarum, compressiones vasorum substratorum, & restrictiones humorum ad interiora oriantur: ut taceamus, quod uterque in aliis quoque morbis phantasie, alterationes atque deliria producere aptus sit. Unde neque hic mirandum est, si ex timore ac terrore fortiore phantasia aliquomodo perturbata, ex falso idearum conceptu, ad erroneas quoque conclusiones, tam morales & rationales, quam vitales, ansam naturæ præbeat, ut inde hæitationes illæ ac fluctuationes circa motuum susceptiones & prosecutiones

sequantur, & ita satis clare adpareat timorem ac terrorem variis nominibus pestilenti morbo adversos esse, præcipue tamen & principaliter eam ob causam, quod excretioni tempestivæ atque legitimæ miasmatismis pestiferi tam in genere quam speciatim per debita loca contrariantur.

§. XXIV.

Cum autem ex iis quæ §. 20. 21. & 22. proposita sunt, pateat, effectus timoris & terroris in corpus redundantes, licet generaliter eosdem i. e. noxios esse, in specie tamen quoad modum hostilitatis, aliquomodo differre, ita ut terror magis repente, & viarum alteratione humores restringendo noceat, timor vero magis successively, sed simul negotio continuo & naturæ motus turbando noxium effectum edat, haud incongruum erit, brevissimis inquirere, quo ordine, quibus temporibus, & quo respectu, proprie vel timor, vel terror pestis patrocinari eamque graviores reddere valeat. Si itaque rem paulo curatius pensitemus, facillimo negotio liquet, timorem noxium magis esse quocunque pestis tempore, siue respiciamus Individua adhuc sana & morbo nondum correpta, siue ægrota, atque in his tam initium, quam successum morbi reliquum. Sana quod attinet individua atque subiecta, quamvis in illis timor pestem citra concurrens contagium producere ac generare non valeat, tamen mentem moraliter angere potest, ut anima semper & constanter, aut ad minimum solito frequentius ejusmodi idæis inhæreat, de consiliis capiendis sollicita hæsitet, & anxie deliberet, quo nunc se vertat, quid incipiendum sit, dubitando, an hoc vel illud sit resolvendum, præcipue si variæ morales circumstantiæ extraneæ concurrant, rem graviores reddentes. Hæc animi anxietas, si etiam extra pestis statum simpliciter modo adsit, notorie quoque alterat motus & actiones vitales & anima-

ma-

males, unde contingit ut personæ tales anxietatibus morali-
 bus laborantes inquieti sint, somnum experiantur turbu-
 lentum, appetitum habeant vel prostratum, vel vagum;
 sanguinis & humorum varias experiantur motitationes,
 nunc congestorias nunc regurgitatorias, ad interiora, unde
 anxietates quarum rationem reddere nequeunt, extremo-
 rum perfrigerationes atque pallores, pulsus remissiones,
 mox iterum eluctatorias & expulsorias, unde æstus volati-
 ci, capitis & faciei rubores, dolores, cum pulsus mutatio-
 ne exacerbatoria ortum ducunt. Tanto magis autem ac
 efficacius ejus modi effectus timoris in actus vitales redun-
 dantes tempore pestis sese exserere possunt, quanto major
 tunc temporis est metus, & timor universaliter quoscun-
 que comitatur, propter illud τὸ θεῖον, quod, licet non in mor-
 bo, tamen cum morbo populariter grassante præsens ab o-
 mni tempore observatum & agnitum fuit: quamvis enim ut
 jam dictum est in ipso morbo pestilenti nihil divini hæreat,
 tamen verissimum est, Pestem tanquam peculiarem ali-
 quam, insignem, non quotidie occurrentem, gravissimo-
 rum nostrorum delictorum poenam divinitus immitti, quod
 Sacræ Literæ sufficienter testantur, omnesque Christi no-
 men gerentes ex abundanti conveniunt, unde merito con-
 cludere licet, in genere neminem fere omnis timoristunc
 temporis expertem esse, qui tanquam homo peccator ab
 omnibus delictis immunem se nescit: gradu tamen hunc
 timorem differre, prout naturalis temperamentorum di-
 spositio singula quasi subjecta ab invicem distinguit. Quod si
 itaque ejusmodi timor in individuís sanitate adhuc fruen-
 tibus initium capiat, diutiusque in mente hæreat, quid mi-
 randum, si in consuetudinem abiens, accedente demum a-
 ctuali morbo pestifero per totum ipsius decursum effectum
 suum noxium in animam & corpus continuet, & natura

anxiis, trepidis, dubiisque deliberationibus atque consiliis adsueta, nunc etiam circa vitales motus & actiones trepide agat dubitando hæreat, quo qualive motu, quo ordine motuum, quonam gradu ipsorum contra materiam lethiferam in corpore hærentem, totique mixtioni animali inevitabilem interitum ac dissolutionem minantem, insurgere debeat: quid mirum inquam, si timore perculsa Natura vel nimis tarde, motus secretorios & excretorios adgrediatur, suamque promptitudinem ad agendum ceteris paribus quasi suspendat, vel nimis præcipitanter nimiam in agendo promptitudinem adplicet, quando materia peccante nondum sufficienter concentrata, nihilominus vehementiores motus suscipit, eoque ipso virus pestilentielle loco speratæ excretionis, tanto firmitus tantoque profundius atque intimius humoribus impingit, atque in illos dispergit, ut deficientibus tandem viribus, nulla amplius excretio locum inveniat: vel demum inconstanter agat, omnesque actus & motus dubie, trepide, prosequatur, mox suscipiendo motus, mox ab illis aliquomodo remittendo, mox hanc, mox illam excretionis speciem molendo; sub quibus titubationibus plurimi peste correptorum succumbunt; cum e contrario illi pestem maxime evadant, in quibus motus illi secretorii & excretorii placide ordinate & tranquille procedunt, nec de reliquo vel per animi pathemata supervenientia, vel per errores regiminis externos turbantur.

§. XXV.

Quemadmodum de timore exposuimus, quod ante morbi accessum, & per totum ipsius decursum continuato quasi actu nocere possit, ita de Terrore quidem dici nequit, quod non semper aliquomodo noceat, verumtamen patet ex ipsius indole & effectu supra explicatis, maximopere illum nocere sub ipso Morbi progressu, quando motus secre-

cretorii & excretorii jamjam suscepti sunt, & legitimo ordine ad peripheriam corporis procedere debent. Cum enim effectus ipsius maxime redundet in motum tonicum, eumque alterando noxas in retropulsione materiæ peccantis exferat, nemo non videt sub ipso morbi decursu eundem infestissimum esse, ideoque tunc temporis evitari debere: quoniam vel materiæ pestiferæ retrocessio ad interiora, ejusque nova cum humoribus miscela oritur, toti animali mixtioni putredinoso effectui interitum minitans: vel Natura in motibus semel coëptis ac susceptis ita turbari potest, ut pro diversitate temperamentorum, aut individuorum teneriorum ac sensibilibum vel a motibus desistat, & viribus prostratis, sub symptomatum lipothymicorum & syncopiticorum accessu succumbat, vel desperabunda, quasi extraordinarios violentosq; motus aggrediatur, & sub convulsionibus ac epilepticis motibus ultimos quidem, sed itidem fatales conatus, atq; tentamina motuum minus adæquata suscipiendo, idem fatum experiatur. Quamquam vero dicto modo terror tunc temporis manifestissime noceat, nequaquam tamen sententia nostra est, quasi nullo alio tempore aut modo in peste noxius deprehendi possit: sed utique concedimus, terrorem eo respectu, quatenus timorem subsequenter comitem habet, & quatenus in principio morbi sub primo aggressu vehementia sua extremorum constrictionem parit, itidem nocivum esse, luemque pestiferam in singulis individuis graviolem reddere, quæ ipso percelluntur.

§. XXVI.

Explicatum hucusque pro viribus & temporis ratione fuit, quod, quomodo, & quo tempore timor terrorque in peste noceant atque nocere possint, quo facto optimo jure ulteriori labore supersedere possemus; nisi utilitatem publicam subesse judicarem, ut ex propositis quædam consilia

lia ad pestis sublevationem, ejusque truculentos effectus infringendos spectantia extrahamus, ac paulo curatius inquiramus, an & in quantum consiliorum ac præcautionum hætenus solemniorum adplicatio & observatio utilis ac proficua sit aut esse possit, ad infringendam pestis truculentiam, ejusque progressus arcendos. Et sicut ratione timoris ac terroris, ejusque effectuum noxiorum, non modo consentientem, sed adeo hanc sententiam foventem, habemus Illustræ Rivinum, ut hic unicam Pestis proximam causam in metu ac terrore ponat, ita nec displicent nobis, quæ ipse inde elicit argumenta & momenta, evitacionem timoris ac terroris suadentia, cum utique si legitime, & quantum publicum commodum, legesque forsitan latæ permittunt, adhibeantur, nullum dubium sit, quin pestis leviores ederet strages. Consilia quod attinet, quæ vulgo tempore pestis observari & adplicari siveverunt, in duas generales se dividunt classes; unam nempe generalissime præservatoriam, alteram, quæ ex parte præservatoria, si sanos respicias, ex parte curatoria dici potest, quantum ad ægrotantes spectat. Prior classis comprehendit omnia ejusmodi consilia, quibus Pestis accessus ab aliis locis infectis arceri ac præcaveri potest, & commercium personale ac reale cum locis infectis a magnatibus & magistratibus prohibetur, circa quæ non habemus quæ moneamus, si modo respectu personarum eo studium intendatur, ut illis nihil deficiat, quod ad vitæ sustentationem, eorumque curam requiritur, & leges latæ charitatis & misericordiæ limites non transcendant, quod quidem a Magnatibus christianis omni jure sperare licet. Altera consiliorum classis ea comprehendit consilia, quæ pestem jamjam præsentem respiciunt, & quibus tam ægrotantibus, quam sanis prospicitur. Relinquimus hic studiose consilia pharmaceutica, quæ ipsam

ipsam Curam pestis respiciunt individualem, cum in presenti ad nostram tractationem non pertineat, & forsan alia occasione sub trutinam rationis revocari possit: & unice illa perpendimus, quæ conservationem sanorum, & propagationis pestis inhibitionem concernere solent, sive illa sanis, sive ægrotis adplicentur. Ratione omnium ejusmodi consiliorum in genere monemus, & cum supra citato Rivino aliisque præstantissimis viris statuimus, omnes occasiones, quæ animum sanorum & ægrotantium timore, ac moerore angere possunt, tunc temporis esse evitandas, & omnistudio, quantum viribus humanis id fieri potest, a sanis ægrotisque arcendas: ne ipsis consiliis antipestilentialibus in noxas superius explicatas, & huic morbo patrocinantibus, præcipitentur. Unde utique cum Medico anglo Richardo Mead sentimus, magistratum munus primum atque priarium esse, ut cives certiores omni modo faciant, se curam illorum gerere paternam, omniaque consilia contra truculentissimam pestem concepta profluere ex vero patriæ amore, iisque simul persuadeant, indicationem ipsius morbi ab ægrotantibus, aut patribus familias, sibi ipsis adeo necessariam, adeoque utilem atque proficuum esse, ac si incendio tactis ædibus, vicinis in clamaverint; quo tanto meliori cura, tantoque meliori effectu ipsis subsidia parari possint: ne contrario modo consilia coëpta interpretentur cives, & ut rectissime loquitur citatus Author, consilia ad bonum finem tendentia, pro severiore disciplina, & specie supplicii habeant, ideoque quasi metu coacti, morbum celare studeant.

§. XXVII.

Posthæc si consideramus ac perpendimus consueta illa pro peste avertenda, ejusque progressibus infringendis, consilia, solent illa consistere, in ægrotantium a sanis separatione; illorumque ad nosocomia deductione: Domuum infectarum occlusionem, & quasi incarcerationem omnium personarum intus habitantium, per excubias ante ædes positas: nec non ædium infectarum designationem per tabulam adfixam Signum aliquod triste ferentem: amictu speciali ac peculiari Ministrorum ecclesiasticorum, Medicorum, Chirurgorum, ac Personarum famulantium, curæ & famulatio peste correptorum destinatarum: & tam in utensilium, quam ædium infectarum combustionem. Hæc sunt illa consilia quibus vulgo pestilenti morbo obviam itur, sub spe, quod ita ipsius progressus citissime ac certissime possit impediri: videbimus itaque quantum hæc consilia secundum rationem possint, & quidnam docente experientia efficere soleant, & an intentioni bonæ revera respondeant, an vero ad propagandam pestem, ejusque sævitiam augendam profint.

§. XXVIII.

Separationem ægrorum a sanis quod attinet, hanc utique in se spectatam necessariam, & utilem esse, quilibet sponte agnoscit, omnem autem separationis modum conducibilem esse, nemo facile affirmabit, qui consectoria cujuslibet separationis bene perpendit. Putamus itaque in ejusmodi casu tres præcipue classes ægotantium esse constituendas; unam illorum, quibus nil deficit in propriis ædibus, quidquid ad illorum sanationem, curam, regimen, requiritur; uno verbo qui propriis subsidiis ex omni parte morbum tolerare ac superare possunt: alteram illorum qui mediæ quasi conditionis existunt, & quorum opes non in totum sufficiunt pro sustinendo morbo, sed aliquam sublevationem e publico poscunt, quamvis de cetero capacitate & commoditate ædium, amicorum aut famulantium subsidio non sint destituti: tertiam denique pauperum & egenorum, qui nude & solitarie auxilium ex ærariis publicis petunt, nullaque subsidia e propriis habent. Facta hac clasificatione, omnium respectu in genere, Magistratum supremorum officium est ut curam gerant, ne defectus aliquis adsit ratione alimentorum, medicamentorum, Medicorum, Chirurgorum expertorum & cordatiorum, sed simul conscientiosorum ac misericordium, (qui ex vero amore patriæ & concivium, non vero ex sola lucri cupiditate officium suum gerunt) personarum quoque famulantium fidelium, prudentium, & in summa omnium illarum rerum quæ ad necessitatem vitæ, ac sanitatis tuendæ & restituendæ pertinent, quo omnis generis cives, vel ex Magistratus misericordia & liberalitate, vel pro parata pecunia habere, ac sibi comparare, possint, quicquid pro illorum commoditate & utilitate requiritur. Singulas autem quod concernit classes, respectu duarum priorum necessitas requirit, ut illis in genere & sine exceptione utilitas separationis ægrorum a sanis indicetur, ut in ædibus propriis certa loca atque conclavia parata atque selecta habeant, pura, non ulida, aut humida, sed quantum fieri potest, aëris liberioris transgressui, non tamen actu frigidi exposita, ad quæ ægros suos commode transferre possint, atque in illis per morbi decursum, debitis auxiliis ipsis succurrere valeant: ubi respectu mediæ classis utique necessitas postulabit, ut e Publico defectus si qui ex aliqua parte occurrant, resarciantur, suppleantur, manentibus tamen in propria domo ægotis. Tertiam denique quod concernit classem, ipsi aliter consuli nequit, quam per deductionem ad Nosocomia, ubi tamen optandum esset, ut semper ægotantes huc translati ex omni parte invenirent, quidquid ad illorum solatium per-

pertineret. Cum autem ordinarie atque ut plurimum Nosocomia pestilentialia ita comparata sint, ut etiam citra magistratum intentionem, imo contra illam, squaloribus foetidis turgeant; ægri sine respectu inter se invicem conjiciantur; famulatio designatæ personæ e tribu levi desumptæ, non ex amore, sed propter sostrum serviant; multitudo decumbentium studiosam ac sollicitam curam, singulis a Medicis, Chirurgis, & famulis impendendam prohibeat ac sufflaminet, stragula sufficientia deficiant; individualis symptomatum consideratio, & secundum hæc rite instituenda curatio locum non inveniat; Medici & Chirurghi pestilentiarum nosocomiis præfecti ordinarie temerarii, minus experti, levioris notæ, per mortes aliorum experimenta facientes existant; neminem esse confidimus, qui nobis vitio vertet, quod omnium Peste ægrotantium translationem ad nosocomia publica sine distinctione suscipiendum dissuadeamus.

§. XXIX.

Nemo enim non sponte videt personas honoratiores, munditiem amantes, mediæ quoque conditionis, quibus aliqua adhuc superest suppellex, ut commodius vitam etiam morbidam agere possint, maxime hoc vitæ genus in Nosocomiis squalidum, foetidum, anxietatibus & miseriis cumulatam perhorrescere, & maximum gravissimumque metum atque terrorem eam ob causam plurimos percellere ac afficere, si audiant agros ad nosocomia esse deferendos; ita ut Rivinus testetur, se in Peste Lipsiensi observasse, plurimos tenuioris fortunæ homines, in momento, quo se in Nosocomium detrudi percipiebant, ob subitanæ consternationem, pessime habuisse, ac non raro in ipsa via expirasse. Unde consultius esse confidimus, si unicuique cui opes & necessaria non deficiunt, libertas permittatur, non modo in propriis ædibus permanenti, sed etiam de famulantibus personis fidelibus, forsan consuetis & cognitis, amicis etiam & agnatis, sibi consulendi & prospiciendi, quo tanto tranquilliore animo, sine metu & terrore, aliisque animi pathematibus, & sub debita cura suorum morbum sustinere ac perferre valeat; modo observetur, ut ad famulitium non nisi personæ cordatæ assumantur, quæ ultro quasi ex amore erga familiam hoc munus suscipiant, Nec dubito fore, quod plures homines sponte hoc officii genus sint suscepturi, si modo certiores essent, quod ejusmodi familiæ, post præstitum officium, si forsan morbo corripierentur, in testimonium gratitudinis, pro illis iterum curam debitam gererent, nec illos ad nosocomia detruderent; cujus rei plura exempla ab ultima peste nostram civitatem

anno 1688 . devastante relata scio, de certis opulentis familiis, adhuc superstitibus, ubi tale quid optimo eventu celebratum fuit. Nec obstat forsan movendum dubium, cur non omnibus in genere, pauperibus æque ac ditioribus eandem concesserim libertatem, cum vita apud omnes parem æstimationem mereatur; fateor enim lubentissime, optandum esse, ut singuli ægroti sine discrimine tali libertate gaudere possent, cum autem multitudo ægotantium tunc temporis impedimento sit, ut non omnia quæ bona essent, sine distinctione in usum vocari queant, non video, quamobrem minus, concessum sit, ditioribus & melioris fortunæ personis majorem libertatem pro commodiore restitutione concedere, cum harum commoda ac tempestitiva restitutio aut conservatio multis modis atque respectibus moralibus in pauperum solamen cedere valeat.

§. XXX.

Neque minorem quam separatio intempestitiva incutere potest terrorem ac metum ædium occlusio, & quasi omnium illas inhabitantium incarceration; quid enim lugubrius esse potest, quam si ægri cum sanis in una domo detenti atque inclusi, ab omni reliquorum hominum commercio excludantur, iisque, qui nil magis quam auxilium expetunt, optima auxiliorum genera denegantur, sanisque libertas demitur, quo animum tranquillum servare, aut reddere possint, iisque se vel inter ægotantes, vel inter famulantes personas pro sostro publico servientes, nil nisi lucrum quærentes, immanes, inhumanas non solum, sed sæpe crudeles, eorum mortem sæpe expectantes, observatos vident atque inclusos, unde tam apud ægrotos qui ejusmodi personarum arbitrio committuntur maximæ anxietates animi, atque abhinc, motuum vitalium turbationes nascuntur, ut utique valde dubium sit, an ægroti evadant, an vero morbo succumbant; quam apud sanos constanter ita incarcerationis metus ac timor justissimus oriuntur, quippe qui ægotantium dolores, symptomata, fata, imo mortem continue adspiciunt, ideoque justo dolore anguntur, præterea autem aliquando famulantium personarum publicarum technas ac fraudes adspiciunt, eoque ipso timeant, seipsos, si ægotarent, similia fata experturos esse: id quod revera non contingeret, si ægotis concessum esset, ut pro arbitrio ipsorum personas cognitæ ad famulitium sibi eligerent, aut sub suorum cura decumberent; & si sanis permitteretur, ut pro recreando animo aliquando liberiores caperent aërem, eumque puriorem præ illo, quò in domo includuntur. Nec deest ratio, quod ades ita obturatæ & obse-

rata

ratæ quasi seminarium præbeant ulterius propagandæ pestis, quam primum post aliquod tempus simul & semel aperiuntur & mundificantur; tunc enim apertis fenestris ac januis uno impetu omnis infectus aër evolat, & vicinæ proximæ damnum parabit; prout optime, superius citatus Anglus non modo per rationem a priori statuit, sed per experientiam optimam magistræ a posteriori evincit: quando testimonia producit de Peste Anno 1636. grassante, cujus initium fuit violentissimum: verum, (ut ipsius verbis utar) agris per auctoritatem regiam facta domibus egrediendi copia, a) vix unus ex viginti, qui sani egressi sunt, in morbum delapsus; ex agris decem vix unus mortuus est, & b) de Peste proxime præcedente, anno 1625. faviente, quod postquam domos occludere cessassent notorie decreverit: dum ante reclusionem domuum non pauciores 4248. obierunt, proxima vero post septimana funerum numerus ad 3344. & paucio ulterius tempore ad 850. decrevit. Quæ exempla sane palpabilia magistratus ab occlusionē ædium & incarcerationē hominum deterrire possent atque deberent.

§. XXXI.

Notam quod attinet quæ ædibus infectis affigi solet, non quidem negandum est, neque hanc sine omne occasione ad terrorem prætereuntium affigi posse, cum tamen non omnes qui prætereunt, pari facilitate, aut gradu, a terrore afficiantur, in genere tamen gravior esse possit terror, si quis in opinato domum infectum ingrederetur, ægrosque ipsos adspiceret, e duobus malis minimum eligendum esse puto, meliusque censeo signum aliquod domui affigi, quod quilibet e longinquo videre potest, eoque perspecto pro lubitu eam regionem loci evitare. Hoc tamen monendū duco, quod ejusmodi signa tali modo affigantur: ut ad minimū ægrotantes in domo ab ictu aut sono affixionis perterrescant, sibi que idcirco, forment, quasi nunc de illis actum esset, & ab omnibus reliquis amicis atque agnatis derelicti essent; & desperabundi quasi morbi gravissimam exacerbationem experiantur: quo nomine atque respectu etiam haud inconsultum esset, si loco currum funebrium strepitum e longinquo excitantium alio modo funera ad locum sepulturæ deducerentur. Nec displicet consilium Diemorbrockii, svadentis, ut sani e domibus infectis egredientes signum aliquod affixum haberent, quo alii illos pro lubitu evitare possent. Quamquam omni tempore melius esse censeo, si quilibet sine timore & metu, sub manus divinæ clypeo, tranquillo animo munia sua subiret, spe certa fretus, sine voluntate Domini, ne capillum quidem capitis in terram procidere posse: si modo omne temeritatis & novitatis studium excludatur. Videmus enim toto die speciem ejusmodi effectus tranquillitatis animi apud permultos Medicos, qui in aliis quoque

a) *Discourse upon the Air, by Tho Cock.*

b) *The Shutting ut of houses soberly debated, an. 1665.*

que morbis contagiosis, epidemicis, malignis, DEO fidentes sine alexipharmacorum usu, in officii sui via intrepide obambulant, nec unquam ejusmodi morbo corripiuntur, cum alii timidiore & nauseosi, quando vix unum alterumve ægrotum visitarunt, halitum graveolentem inspiratione attraxerunt, etiam decumbunt, imo a morbo supprimuntur. Unde hic loci ansam simul capimus laudandi insigne illud fortitudinis medicæ exemplum non modo Diemberbrockii de se ipso testantis, se omnes ac singulos ægrotos tempore Pestis Noviomagensis visitasse, qui ipsius consilium implorarunt, quamvis pestilentiarius Medicus constitutus non esset, sine respectu ad mercedem, eoque ipso multos restituisse ipsumque incolumem mansisse; sed etiam Gedanensium Medicorum, qui deficientibus Medicis pestilentiariis ordinariam suam spartam non reliquerunt, sed peste correptos illorum auxilium quærentes instar ordinariarum ac quotidianorum ægrotorum, (exceptis tamen nosocomiis) visitarunt, notorio exemplo fortitudinem hanc ipsis antidotum fuisse, cum ne unicus quidem ex illorum numero peste correptus, multo minus subreptus fuerit. Commendamus itaque multis nominibus hoc ipsum antidotum omnibus Medicis, præsertim junioribus, ut illi adsuefiant, haud immerito enim fieri credimus, Medicorum peritissimorum ac expertorum culpa per indirectum quoque pestem tantas edere strages; hi enim dum munus Medicorum periculoso tali tempore detrectant, ægroti coguntur, ut Empiricis, Tonforibus, Balneatoribus, & plane imperitis Medicis sese committant, qui plura experimenta faciendo, plurimos ægrotorum ad orcum dimittunt. Nec possumus, quin in juniorum medicorum gratiam, elegantissima verba Domini Rivini optime huc quadrantia adponamus; quando dicit: „Quid putas sentire ægrum, si Medicus eum visitare plane detrectet, vel si accedens in limine cubiculi hæreat, aut post ingressum os simul atque nares obturet, „Balsamo obliniat, pulsus vix attingere audeat, statimque manum abstergens lavansque resiliat celerrimo gradu.

§. XXXII.

Amictum peculiarem Medicorum, Chirurgorum, & reliquorum famulitio dicatorem non quidem in totum rejicimus, in quantum nempe respicit, partim munditiam, per vestimentorum frequentem permutationem obtinendam, partim ipsam vestimentorum speciem quoad materiam ex qua conflata esse debent; Lanca itaque & epellibus confecta, nec non bombacina, cum notorie facile miasma lethiferum recipiant, eoque ipso illud aliorum transferri possit, haud incongruum est, si loco talis materiæ alia quædam commodior & aptior eligi ac seligi possit, optimum tamen semper erit ipsa mundities, & plurium vestimentorum frequens permutatio, sub qua illa per vices libera aëri exponi poterunt. De peculiari autem quoad figuram & formam amictu, cum sæpius citato atque laudato Celeberrimo Rivino dicimus jure meritoque: Mirum non esset, si æger repente moreretur, quamprimum spectrum ejusmodi italicum appareret, rostro prægrandi, vitreis oculis, inepto pileo, vesteque talari deforme, atque horrendum, qua imagine diabolica in peste Romana anni 1656. incedebant Medici: is certe venia dignus non videtur, qui, dum sibi nimium prospicit, pluribus exitio est. Haud enim conceptu difficile est, quod ejusmodi larvatae personæ gravissimum terrorem cumque inhaerentem incutere possint, si ex improvviso vel sanis vel ægrotis obviam eunt, præcipue infantibus, gravidis, aut delirantibus, vel so-

lum

lum spectrorum metu imbutis, ut gravissima inde deliria, convulsiones, spasmi, cum exanthematum retrocessione violenta, morteque repentina sequantur: quapropter hoc etiam consilium si forte in considerationem aliquando veniret, ad illa relegamus, quæ per terroris ac timoris provocationem pestem deteriore reddere valent.

§. XXXIII.

Combustio tandem utensilium, & ædium infectarum in considerationem venit; de qua haud indiscretim dicendum aut sentiendum est: Utensilia enim quod concernit, hæc duplicis sunt generis, alia nempe quæ aqua lavari & aëre libero repurgari possunt, qualia sunt Lintheamina & reliqua supellectilis lignea aut ænea, vitrea lapidea: alia quæ vel lavari nequeunt, vel etsi laventur, miasma pestiferum non facile dimittunt, quorsum pertinent Lanea, bombacina, pellicea, Lecti aliaque. De prioribus itaque censemus, satius esse ejusmodi utensilia aqua & sapone, aut pro re nata arena lavare, aëri liberiori ac puriori per tempus exponere, talemque mundificationem sæpius repetere, ut illorum concrematione non indigeat: reliqua autem cum vel propter pinguedinem subtilem ipsius junctam, miasma semel inhærens ægre dimittant, vel propter sudorem profundius penetrantem, plumis lectorum inhærentem lavari aut sufficiens mundificari nequeant, melius concremantur, ne alicui de novo noceant: id tamen attendendum, ut ejusmodi utensilium concrematio in loco a civitatibus remoto instituat, ne fumus rerum combustarum tractu ventorum iterum ad civitatem deferatur. De ædium combustione autem, quæ infectæ fuerunt, aliqui sententiam fovent, quod sit non modo utilis, sed necessaria, ut nihil de miasmate pestifero remaneat, quod de novo expandi, aliisque communicari possit, sed totum in auras dissipetur, & flamma disjiciatur, reputantes, hoc modo simul & semel omne miasma pestiferum radicitus extirpari posse. Sed ut taceamus periculi, respectu incendii quod quidem debita industria præcaveri pro viribus potest, metum tamen atque terrorem incutit; ab omni tempore observatum fuit, luem pestiferam ordinarie a calore externo incrementum capere, ac miasma pestilentielle subtilisari, tenuius reddi, atque expandi, ut tanto majore activitate corpora invadat plura, eaque vehementius aggrediatur, unde immerito concluditur, hunc quoque calorem idem posse, ideoque magis noxium quam proficuum esse: & quamvis in contrarium objectio formari posset, solis calorem & tempestatem calidam effectum illum exacerbatorium quidem præstare, ab illo tamen non concludendum esse ad calorem ignis, quippe rapidiorē celeriorē ac vehementiorem, particulas miasmaticas simul & semel disjicientem; tamen hoc argumentum, ita nude contrarium non probat, quin dubium quoddam remaneat: præterea autem ipsa experientia rem non confirmat, sed potius contrarium monstrat, dum non solum e Galliae regionibus aliquoties relatum est, domiciliorum destructionem & concremationem adhibitam esse, pro infringendis & inhibendis Pestis progressibus, & tamen Pestis sæviit, neque hucusque in totum sævire desit: sed præterea supra citatus anglicus Author, ex alio Scriptore Hodges De Peste; allegat experimentum factum ac institutum, ubi ignes per omnes vicos totum triduum fuerunt imperati, & nocte unica insequente non pauciores quatuor millibus obiere, cum singulis prioribus vel posterioribus septimanis non multo ter amplius hoc numero elati fuissent, Unde equidem

dem concedimus, contremationem alicujus domicilii, forsan ab aliis satis remoti, in primo pestis principio aliquid posse, verum quando Pestis jamjam majora augmenta cepit, nil commodi inde redundare in publicum.

§. XXXIV.

Quibus ita secundum ordinem expositis & explicatis nil superesse putamus, quam ut generaliter summam conclusionis eo reducamus, ut omnia ejusmodi consilia, quæ sanis aut ægris timorem ac terrorem parare ullo modo apta sunt, studiose pro viribus evitemus ac disvadeamus; propter supra citatas rationes, cum motus naturæ placidos atque legitimos evertant, turbent, & inordinatos reddant, secretionis & excretionis negotium sufflaminent atque invertant: & e contrario unicuique fortitudinem animi, mentemque tranquillam commendemus, quo omnia tunc temporis accidentia æqualiter ferat, nec se ad quævis animi pathemata vehementiora excessive moveri patiatur, quod ultimum quidem satis ardua res est, non tamen tam ardua, quin partim precibus ardentibus, partim ipsa consuetudine actiones suas morales moderandi, si non in totum, tamen in tantum obtineri possit. Sic enim simul obtinebit, ut natura in actionibus vitalibus morales sequatur, & itidem periculo instante, placide & ordinate easdem prosequatur. Unde loco tristitiæ ac metus tunc temporis maxime familiarium, potius hilaritatem moderatam commendamus, eaque adminicula svademus, quibus mens hilaris effici aut conservari potest; quo nomine solitudinem disvademus, & consortia amica, imo Vini moderatum usum commendamus. De reliquo mundities corporis atque locorum sit commendatissima, quoniam tunc temporis facilissimum est, ut ex foetore alieno quis nauscam atque terrorem concipiat ad plura graviora symptomata disponentem. Unde loca publica, & ædes tali tempore ab omnibus sterquiliniis, animalium cadaveribus, aliisque foetorem spargentibus rebus debent diligentissime repurgari. Quorsum etiam pertinet Defunctorum tempestiva remotio, nec in ædibus putrescant, foetorem spargant, miasma infectionis quantitate & qualitate augeant, & quod maximum est, sanis adhuc aut viventibus terrorem metumque incutiant, eorumque decubitus graviores reddant. Eodem quoque respectu Magistratus publici caveant, ne loca sepulturæ nimis propinqua sint incolis civitatum; & cadaveribus putrescentibus, halitum spargant noxium. Hæc sunt Benevole Lector, quæ in præsentiarum de Timoris atque Terroris noxa in Peste proponere libuit. Et quamvis fateamur, plura quæ dicta sunt, fusius explicari, aut aliorum præstantissimorum Virorum testimoniis confirmari potuisse aut debuisse, maluimus tamen pedem hic figere, quam limites dissertationis transcendendo, tuo favore abuti. Secundet Benignissimum Numen nostros conatus, ut publicam utilitatem post se trahant; cui pro concessis viribus sit summa Laus & Gloria.

